DE FEBRI PUTRIDA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... CUM...

Carlo medico Borgomanero (medico)

DE

FEBRI PUTRIDA

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS
DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE
SPECTABILIS DOMINI DECANI NECNON CLARISSIMORUM
D.D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D. DOCTORE THEODORO HELM
Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. O.
Directore Nosocomii Universalis etc. etc.

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense April. 1845

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

BORGOMANERO CAROLUS
Ex Gallarate in Prov. Mediolanensi.

TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII

ANGELO CURIONI

INTER AMICOS CARISSIMO

DE FEBRI PUTRIDA

§. I.

Ab antiquissimis usque temporibus febres putridae observatae fuerunt, atque diversis nominibus insignitae; *Hippocrates* nomen *typhi* adposuit; *Cullen febrim typhoideam putridam* eam vocavit; a *Galeno synochus nervosus putridus* dicta fuit, quam denominationem retinuerunt medici, medii aevi, qui nimis sequuti sunt Galeni praecepta; *Boerhaave* ei nomen imposuit *Febris putridae* atque adseclae hujusce scholae retinuerunt hoc nomen; *Rhein* illud mutavit, illamque compellavit *febrem paralyticam*, quum observaverit eam se praebere cum singulari statu paralyseos totius corporis. *Frank* ideam putredinis cum vita haud admittere volens, vocavit *febrem nervoso-putridam*, imo retinet eam uti varietatem febris

nervosae. *Pinel* eam descripsit sub nomine *febris adynamicae*, nam adynamia eo monente, febrim hanc fere semper comitatur; apud *Hildenbrand* dicitur *febris* cum charactere *putrido* vel *septico.*

Febris putrida conditionem pathologicam suam noscit in systemate sanguifero, atque raro primitive evolvitur, quin imo juxta nonnullos haud observatur, atque character ille putridus nonnisi secundario modo evolvitur. Et re quidem vera in pluribus casibus secundarius est; non raro evolvitur a febri ipsa inflammatoria, atque, magnam habet affinitatem cum ipso typho contagioso, qui sub exordio refert characterem inflammatorium, ac inde in putridum degenerat characterem; ingenerari potest quoque a febri catarrhali, praesertim si favet dispositio, nec non status individui. Hac ratione evenit quod oriri possit febris putrida ab omnibus febrium speciebus, quia ab initio omnes sumunt characterem inflammatorium; et pro varia morbi origine, diversa quoque symptomata evolvuntur. Nullum extat juxta *Hildenbrand* febris genus, cui putridus succedere nequiret status, eminentem tamen proclivitatem ostendunt febres contagiosae, praesertim typhosae et gastricae.

§. II.

In febri putrida quandoque habentur symptomata prodroma, uti lassitudo, dolores ad stomachum, dolores vagi cutis ejusque pallor, sed quamquam adsint ista prodroma, dici nequimus evolvi posse febrim putridam, nisi dominet illi favens aliqua constitutio epidemica.

Praegressis istis symptomatibus febris incipit cum frigore, quod inde transit in calorem cum sensu ingrato et pungente; febris vero modo continua continens est, quia continuat sine intermissione, longe frequentius est continua remittens, quia non eadem intensitate perstat, Pulsus est frequens, non admodum durus, sed quandoque est mollis, inaequalis, intermittens, et si in aliquibus casibus sub primordiis febris adparet aliquantulum durus, tamen post paucos dies fit mollis, debilis, ac sub fine tardus. Lassitudo muscularis maxima est, ita ut motus omnes fere non percipiat aeger; lingua ex ore porrecta etiam primis diebus offert aliquem tremorem, est sicca, fusca vel atra atque in sulcos funditur. Cutis pallida adparet, vel non raro etiam sordida, coloris terrei, sub exordio morbi quam maxime sicca; deinde in aliqui-

bus casibus perfunditur sudore saepe glutinoso et foetido. Inde cavendum est ne medicus decipiatur de resolutione morbi, quia hic sudor in aliquibus febribus dominantibus contagiosis, indicat assumi characterem septicum, uti in miliaribus, in quibus sudor convertitur in damnum aegrotantis.

Cavum oris est siccum, lingua sub exordio morbi saepe purissima, perrubra, mox obtegitur muco spisso, et glutinoso; inde cavendum est ne ab hoc statu linguae judicetur de febri inflammatoria, aut gastrica, quia haec lingua est quoque symptoma febris putridae. Mox lingua obtegitur muco spisso, in gengivis observantur scissurae, halitus foetet, quaeque symptomata propria sunt hujusce febris, uti etiam palpebrae cisposae, ac nares fuliginosae.

Sitis est pauca, interdum fere nulla, dantur tamen casus in quibus aegrotantes siti magna torquentur, et frigidam aquam exoptant, nec non potus frigidos et acidos; adpetitus prostratus, adversatur potissimum in cibis animalibus, modo ut quandoque vomiturationem inducant; alvus nunc obstipata modo diarrhoica adparet, cum urinis turbidis ac jumentariis.

Haud infrequenter in tubo gastro enterico evolvitur gaz, abdomen redditur tumidum, re-

sonans ad percussionem, quod symptoma vocatur meteorismus, aut tympanitis. Talis gazonum evolutio locum quoque habere potest in textu cutis sub forma emphysematis, quod facillime evenit in omnibus febribus putridis; uti accidit etiam sub aetione alicujus veneni. Observatur pariter quoddam exanthema in cute, et hoc sistit in maculis parvis simillimis morsui pulcis, lenticulares quandoque, et dictae fuerunt *peticulae*. Istae tingunt cutim instar marmoris, indolentes sub pressione, et efflorescunt praesertim in collo, pectore, abdomine, cruribus, antibrachiis; sed non semper comites sunt febrium putridi characteris; in cavo oris, et sub autopsia inveniuntur etiam in visceribus abdominalium. Sanguis est nigrescens, et in coagulationem difficile abit, atque crassamentum molle est obtectum tantum pellicula, aut exigua crusta. Secundum observationes nonnullorum medicorum. Angliae sanguis habet 648 partes aquae, 148 materiei colorantis, 120 alalbuminis, 28 fibrinae, et 13 salium; dum in febri putrida habet 772 partes aquae, 120 materiei colorantis, 75 albuminis, 22 fibrinae, et 9 salium. In decursu hujusce febris interdum praeter maculas adparent et alia exanthemata, praecipue miliare, vel furunculi, vel aphtae in cavo oris.

Adest semper in cute propensio singularis in gangraenam et sphacelum, unde quasi semper observatur decubitus, qui accipit formam gangraenae, et plagae vescicantium acquirunt semper adspectum gangraenosum. Habentur communes perturbationes functionum systematis nervosi, unde sensus communis obtusus est, caput grave, aeger soporosus jacet, atque cephalaea laborat obtusa, temulentia, animi desperatione, balbutie, aphonia, anorexia, dyspepsia, nec non delirium cum sopore alternat.

§. III.

Haec febris quacumque in aetate evolvi potest, sed praecipue, in illis qui laborant hydrargyrosi; caeteris paribus febres putridas subeunt homines debiles, phlegmatici, laxi, exhausti, convalescentes, valetudinarii, laborantes morbis diuturnis praesertim cachexiis, uti illi qui scorbuto, aut hydrope detinentur.

Uti causa ab omnibus criminatur aër atmosphericus vel frigidus vel humidus, aër calidus et inquinatus miasmate paludoso. Ex hac causa aëris corrupti explicatur cur febres putridae uberiores sint ad oras maritimas, in locis depressis, sub zona torrida, in nosocomiis, unde

habentur febres nosocomiales, castrenses, haelopyrae, quae quidem crebro stipantur charactere putrido.

Epidemiae aliquae, quae non solum dependent a statu telluris, sed etiam a statu syderum; inde sunt causae, defectus alimentorum tempore sterilitatis et egestatis, debilitas, indigentia, alimenta qualitate peccantia, uti carnes desumptae ab animalibus infectis, cerealia malae notae et inquinatae secale cornuto et aliis granis maleficis; nonnulla ingesta venena, uti acidum hydrocyanicum, morsus serpentium aliquorum, contagia quaedam. Ingenerare quoque possunt hanc febrim contenta ventriculi et intestinorum, quando ad putredinem vergunt; substantiae alcalinae et salinae, praeparata mercurii, remedia narcotica.

Haec febris fieri potest, uti sentiunt nonnulli contagiosa, ita admittunt, de cholera, de aliquibus dysenteriis. Morbus ingeneratur per liquida in organismo corrupta, uti urinae quae in massam sanguinis haerent, eum corrumpunt, placenta putrida in utero, etc.

§. IV.

Febris putrida morbum sistit, valde periculosum, maxime si corripit subjectos debiles, cachecticos, et causae fuerunt plures ac diuturnae; uti si evoluta est ab aliis febribus neglectis, et insulta therapia adhibita, etiam omni diligentia symptomata non imminuuntur, sed crescunt; nisi vires medicatrices organismi aegrotantis, congruis artis auxiliis, vel horum vices agentibus circumstantiis secundis, suffulcantur, restituendae saluti vix unquam pares sunt, cujus ratio in ipsa febris putridae natura delitescit.

In casu resolutionis febris, circa septimum, nonum, decimum quartum vel vigesimum diem febriles pacantur turbae, pulsuum frequentia imminuitur, increscit vicerversa vigor, disparent maculae peticulares, mens fallacibus illusa phantasmatibus, vel alto obruta sopore serenatur, unde aegri proprias angustias clarius perspiciunt, ac de insigni queruntur delassatione; redit adpetitus ciborum, sommusque reficiens; conticescunt profluvia morbosa, horumque loco levantes subintrant evacuationes, quas inter sudores critici, atque urinae turbi-

dae, sedimentum copiosum, rubellum, aut flavo fuscum deponentes, optici augurii esse consuescunt.

Per vomitum aut diarrhoeam illae tantum resolvuntur febres putridae quae cum gastricis copulatae impuritatibus decurrunt. Tumores parotidum aut glandularum inguinalium, testantibus *Moureau*, *Stoll*, et *Vogel*, haud raro levamen tulerunt; in aliis casibus eruptio furuncularis et phtyalismus ceu criseos faustae comites observati fuerunt. Plerumque tamen convalescentes longiori egent tempore donec pristinam virium et habitus externi integritatem recuperent.

Communissimam mortis causam largitur virium vitalium prostratio, atque septicus massae organicae status, quibus rapido saepe gressu crescentibus, principes vitae motores extinguuntur. Ad hanc mortem ex debilitate plurimum conferunt extenuantia profluvia diversi generis, et quandoque etiam haemorrhagiis internis sub lethali syncope pereunt aegri. Febres putridae locali quadam phlogosi, aut saepius organi nobilioris comitatae mortem simul parant, propter sublatam functionem vitae absolute necessariam, vel per fatales successiones gangraenae, effusionis, colliquationis ichorosae.

Posthumis febris putridae imperfecte resolutae adnumerantur inflammationes et indurationes glandularum salivalium, subaxillarium, inguinalium, carbunculi, inflammationes viscerum ominosae, quae omnia consectaria, plerumque effectus metastasis esse solent. Debilitas chronica universalis, vel partiales languores organorum digerentium, aut functionum nervosarum, unde dyspepsia, cardialgia, amaurosis, cophosis, et paralyses variae; vitia diuturna reproductionis organicae, uti scorbutus hydrops, tabes, et febris lenta. Quod si febris putrida in inflammatoriam transit, id nonnisi accidentalibus tribuendum est circumstantiis.

§. V.

Ambigua semper esse debet salutis spes in febri putrida, uti ex jam supra allatis elucet. In praesagienda vita et morte, virium conditio prae caeteris debet recenseri; quo major enim fuerit debilitas, et quo magis praeceps ejus incrementum, eo magis discrimen aegri. Ideo febris homini masculo et robusto superveniens spe meliori consolatur, quam si corporis vires jam ante morbum fractae et exhaustae fuerint.

Symptomatibus summe ominosis accenseri prae caeteris merentur omnia illa quae maximum colliquationis et debililatis paralyticae gradum indicant; profluvia colliquativa, uti sudores et diarrhoea, haemorrhagiae effrenes, peticulae amplae, lividae, atrae, atque echymoses; physionomia tristis, inopinatus virium ab ineunte morbo lapsus, delirium sine induciis, sopor apoplecticus, crocidismus; foetor cadaverosus ab aegro emanans, lingua tremula, vox stridula, singultus, meteorismus pertinax; urinae continuo crudae et limpidae vel lutosae et graveolontes; pulsus parvi, vacui, vermiculares, intermittentes, nec non animi deliquia.

Fatale quoque est si partes cantharidibus irritatae, aliave ratione, in gangraenam festinant, aut si febricitans decumbendo partes conterit et excoriat; gangraena corripiuntur viscera nobilia; si causae fugari nequeunt. Etiam posteaquam aeger convalescit omnino tutus minime considerari potest ob clandestinas metastases. Dum parotides aliave superficiei externae loca inflammantur et in pus convertuntur fausti exitus notam promittunt; si vero hujusmodi tumores sine puris genesi evanescunt, perniciem minitantur.

§. VI.

In cura febrium putridarum, in primis amovendae sunt causae, quae febrim produxerunt, si possibile est. Hinc convenit deleterias aëris qualitates dissipare vel corrigere, putrescentes saburras eliminare, victus rationem emendare, animum depressum exhilarare, corruptas sphacelo solidorum particulas removere, saniem alicubi effusam evacuare. Insuper in morbi exordio cura adcomodanda est nosogeniae febris; si pervenit a febri inflammatoria, et aliqua viget virium arteriosarum exuberantia, eam remediis leniter antiphlogisticis et refrigerantibus moderare oportebit. Venae sectionis vero necessitas non urget, nisi adhuc vigeat aliquis processus phlogisticus. Ea autem proportione qua vero asthenicus subintrat status, ad stimulantia modo leniora, modo potentiora transire possumus, ut moderata illa obtineatur virium incitatio, sine qua beneficae crises cogitari nequeunt.

Singularem quamdam in febribus putridis laudem sibi vindicarunt camphora, moschus, castoreum, valeriana, chamomilla, angelica, imperatoria, oleum animale Dippelii, et vinum

generosum. Non credatur tamen sola methodo stimulanti putridam febrem devinci posse, et solam harum febrium debilitatem esse causam, quia tunc adaugeretur resolutio, dum stimulantia adaugent virium vigorem, intendunt expansionem, ac invitant majores haemorrhagias.

Hocce sub intuitu remedium seligendum, actionis talis sit oportet, ut in processu vitali vegetationem infrangat, principia phlogistica fuget, majoremque materiei organicae vim plasticam et nisum in cohaesionem conciliet. Ad hoc potissimum conferunt nutrientia acida, roborantia, et frigus.

Acida omni jure inter praestantiora antiseptica enumerantur; inter quae vero vegetabilia, uti acidum aceticum, citricum, tartaricum, quia ob laxionem principiorum componentium unionem facilius resolvi et adsimilari videntur. Juvant quoque acida mineralia tamen, ex eo quod continent maximam oxygenii copiam, unde opponuntur actioni principiorum phlogisticorum haerentium in organismo. Praestant igitur acidum sulfuricum dilutum in aqua saccharo condita, vel decocto quodam mucilaginoso, elixirium acidum Hallerii, acidum muriaticum quando putridus fomes in primis viis extat, acidum phosphoricum in typho, nec non alu-

meno commendatur. Inter roborantia laudatur cortex peruvianus, sed cavendum est ab isto si adsunt saburrae in ventriculo, vel si adest aliqua phlogosis vel simplex irritatio tubi alimentaris. Frigus putredini inimicissimum in istis febribus tantas exercet vires, ut eas solo frigoris et chinae usu plures sanasse asserunt.

Sunt vero symptomata perniciosa in decursu febris putridae, quae in cura peculiarem merentur attentionem; ita haemorrhagiae, alvi fluxus, meteorismus, decubitus; profluvia sanguinis e naribus, utero et intestino recto sistuntur fomentis frigidis, injectionibus ex decocto chinae, solutione alluminis, vel acido sulfurico aqua diluto; haemorrhagiae ventriculi, vescicae sistuntur fomentis frigidis, cum allumine aliisve adstringentibus ad epigastrium; et regionem pubis. Alvi fluxus orti a corruptis in ventriculo curantur cum eccoprocticis acidulis vel tinctura rhei. Si vero a debilitate generali proveniut, tunc ad aromatica amara, adstringentia confugimus, quibus addimus mucilaginosas substantias. Arrident mentha piperita, radix columbi, cortex simarubae, et radix arnicae a *Stoll* commendatur. Pertinaciori in casu confugitur ad opium radici ipecaquanae commixtum.

Metheorismus curatur cum frictionibus siccis, vel litubus aromaticis super abdomen, ac clysmatibus pariter aromaticis. Decubitus praepeditur cum varia aegri positione, munditie, et abluendo aqua aut lacte partes prominentes corporis, quae facilius conteruntur et inflammantur. Si partes sunt rubrae obteguntur cerato diachilon simplici, aut linimento ex albumine ovi et spiritu vini. Existentibus ulceribus utitur unguento camphorato cum myrrha, atque fomentis ex decocto corticis chinae, quercus, salicis; in casu gangraenae humidae conveniunt inspersiones ex pulvere corticis peruviani, florum chamomillae, mixta carboni.

Quoad regimen diaeteticum conveniunt aer purus, suffumigia, temperies moderata, victus parcus digestionis facilis, nutriens, vegetabilis, potus acidus aut vinosus, animi exhilaratio; non raro aeger vespertina cruciatur febricula, fuganda cum solo cortice peruviano.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I. Hemophtoes diagnosim interdum summe difficilem.

II. Studium in illis qui habitu phthisico laborant valde damnosum.

III. Praeparata martialia omnino deprimentia declaranda sunt.

IV. Spectata morborum essentia, nulla adest universalis adfectio.

V. Ipecacuanham in omnibus dyssenteriae stadiis convenire.

VI. In enteritidis cura hirudines venae sectionibus praeferendas.

VII. Metus ad morbos contagiosos valdopere disponit.